



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Auctarium. Sive Additiones Ad Viri Clarissimi Henr. Zoesii  
J.V.D. Universum Jus Canonicum**

**Geismar, Justus Moritz von**

**Coloniæ Agrippinæ, 1691**

Ad tit. XVI. ut lite pendente nihil innovetur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62259)

## TIT. XVI.

*Ut lite pendente nihil innovetur.*

**A**D nu. 1. Hunc totum numerum expunge, & pone sic: Lis autem pendere dicitur, quàm primum reus ab auctore expressâ tamen causâ propter quam vocatur, citatus est. *Clement. 2. h. r.* Ut ita ad litem pendentiâ contestatio litis non requiratur. *d. Clem. 2.* Et hic notandum, quòd aliud sit litem pendere, & aliud rem esse litigiosam, quia res litigiosa est, quando inter possessorem & peritorem de alicujus rei dominio controversia movetur in judicio. *L. 1. cum Auth. litigiosa C. de litigios.* Et hinc est quod inquit Gloss. in *cap. 1. inf. de confirm. util. vel inut.* Si fiat controversia super possessione, rem per id non dici factam esse litigiosam. Ideòque secundùm *Panormitanam in c. 2. n. 4. inf. Qui filii sint legit.* Si maritus sit ab uxore sua accusatus adulterii, & uxor agat ad thori separationem, pendente lite possessione maritali non est privandus, neque ab uxore separandus, quia litis pendentiâ non suspendit exercitium matrimonii. Sic etiam si duo litigent super beneficio Ecclesiastico, & unus illorum decedat ante finitam litem cum superstite, beneficium alteri conferri non potest, & si id fieret, ipso jure nullum est & irritum.

## TITUL. XVII.

*De sequestrat. possessionum.  
& fruct.*

**A**D finem num. 1. adde: Sequestro

vicinum est depositum, quod tamen in aliquibus differt, primò enim possunt & plures, & unus rem deponere, apud sequestrum autem non nisi sint plures. *L. 17. ff. de posse.* Secundò, res qualibet potest deponi, etiam illa quæ non est controversa, sequestrari autem res nulla potest, nisi controversa. Tertio, plures rem deponentes deponunt pro rata, sequestrantes verò deponunt in solidum. Ita *D. Schambogen. ad Tit. Inst. quib. mod. re contr. oblig. §. 1. circa fin.*

*Ad n. 2. in fin. adde:* Habere autem potest locum sequestratio, tam in controversiis rerum profanarum, quàm etiam spiritualium seu beneficiorum Ecclesiasticorum, unde juxta *Clement. un. h. r.* Si in petitorio vel possessorio sit lata & promulgata sententia definitiva in curia Romana super beneficio contra possessorem, qui triennio non possedit, tunc jubetur ordinario quòd debeat beneficium & fructus sequestrare. Ubi adhuc observandum, quod si res mobilis, quæ servando servari non potest, timeatur deterior futura, tunc lite pendente implorari debet judicis officium, & res vendi, ac deinde ipsum pretium loco rei sequestrari. *Gail 1. obs. 1. 48. n. 3. ubi num. 4.* pulchrè addit, quod illas res propriè dicantur servando servari non posse, quæ ultra triennium in naturali sua bonitate non possunt conservari.

Ubi quæres, an detur medium ali- quod evitandi sequestrationem. Resp. Si de rebus conservandis idonea præstetur cautio, sequestrationem evitari posse, an autem cautio juratoria sufficiat, 1. dic, si sit offerens bonæ vitæ & famæ, posse, aliàs si suspectus sit, quod non. *Gail. d. loc.* *Ad*